



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

2. Quomodò placant Deum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

iustificationem, sed opera quoque exiguntur, ut plena sit & consummata fides. Et hanc iustitiam ubique docet Scriptura, quæ sequi debet primam. 2. Petri 2. Cuius liuore sanati sumus, ut nunc iustitiæ viuamus &c. Seruus gratis acceptatur à Domino, & operibus præcedentibus non meruit: sed tamen nunc debet operari susceptus.

Quòd opera placant iram Dei, cum distinctione docet Ecclesia. Est enim ira DEI, qua punit æternaliter scilicet incredulos, Ioannis VII. Si non creditis quia ego sum, in peccatis vestris moriemini. A tali igitur ira Deus non placatur, nisi per fidem in Iesum Christum: nam dedit Filium, ut omnis qui credit in illum, non pereat: qui ergò non credit, iam iudicatus est, Ioannis tertio. Nullum ergò opus hominis placat Deum ab æterna illa ira, nisi fides in Christum.

Est quoquè alia ira Dei, qua in presenti punit peccatores credulos, quorum pœnitentiæ opera placant & mitigant iram Dei à pœna, quam statuit infligere Deus. Sic enim Niniuitarum opera placabant Deum Ionæ tertio. Sic humiliatio Dauid & oratio placauit Deum, ut cessaret pestilentia, 2. Reg. 24. Sic eleëmofyna Nabuchodonosor Regis placauit Deum, ut mitigaret illius pœnam, Daniel. 4. A temporaria igitur pœna, belli, pestilentie, famis ac aliarum infirmitatum, quibus Deus nos aliquandò visitat, & peccata nostra punit, hæc ira potest placari operibus pœnitentiæ, id est, temporaria pœna. Sed quoad iram & punitionem æternam, nullum opus Deum placare potest præter vnicum Domini nostri Iesu Christi, placatur DEVS à pœna æterna: sed opera fidelium placant Deum, quoad pœnam temporariã, pro peccatis promeritã ex misericordia & gratia, non dignitate.

De satisfatione, quatenus opera bona pro peccatis satisfaciant, sic cù distinctione docetur: habentur in peccato duo, offensio Dei, deindè iusta correctio, quam

quam